

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Deus y  
cum fonte primo

Cum diligimus Dominum omnia in ipso reperimus.  
Vnus est qui queritur sed in quo omnia continentur.  
O lucrum mirabile! O compendium singulare!  
Cur nos per diuersa fatigamus?  
Ad ipsum ergo unanimiter festinemus  
post quem cuncta bona ultra non querimus sed tenemus.

Cassiodorus super illud Psalmi:  
Inquirentes Dominum non deficient.

Nam cum diligimus Dominum, in ipso omnia reperimus.  
Vnus est qui quaeritur, sed in quo omnia continentur.  
O lucrum mirabile, o compendium singulare!  
Cur nos per diuersa fatigemus?  
Ad ipsum ergo unanimiter festinemus,  
post quem cuncta bona ultra non quaerimus, sed tenemus,  
sicut apostolus dicit:  
*Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Aurelius Cassiodorus, *Expositio Psalmorum*, 33.11  
(CCSL 97, M. Adriaen ed., p.298, ll.206-212).